Ecclesiasticae.

Krupski Mart. Stanisl: Prodigium prodigiorum in congregatione Virginis Annuntiatae ad Corpus susceptur.

PRODIGIUM PRODIGIORUM.

DEUS

IN CONGREGATIONE VIRGINIS ANNUNTIATÆ, AD CORPUS SUSCEPTUS.


Et inter annuos Marianæ Sodalitatis applausus

PRÆSENTATUS,

Perorante MARTINO STANISLAO KRUPSKI
Eiusdem Congregationis Assistente.

Anno ad Corpus admissi VERBI, 1660.
II. Aprilis.





POSNANIÆ,

In Officina Viduæ & Hæredum ALBERTI REGULI.

MARIANÆ CONGREGATIONI
Virginis ab Angelo ſalutatæ,
IN COLLEGIO POSNANIENSI
SOCIETATIS IESV,
Titularis Feſti triumphos adornanti:
M. S. K. feſtiuam acclamationem.

Non alienum quidquam, ſed Tuum Tibi præſento Sodalem, Sodalitas MARIANA. Sodalem illum, qui humanitatem iam pridem ſpeculatus, ad praxim deduxit non vulgarem, HOMO factus. Seu humani, ſeu diuini ſis genij: DEVM HOMINEM non acceptare non potes, accidet Tibi ad animum, quem ad Corpus ſuſcepiſti.



ORATIO



IV figuris, tropisq; vsus DEVS, vltimam tandem è prodigiosis prodigiosissimam fecit metaphoram, cùm è cœlo in terras deuolutus de loco proprio in improprium est translatus, Auditores MARIANI. Accessit ad prodigium cùm illud VERBVM loquenti non impar, seq; ipso plenum, & vt ita dicam, Intransitiuum, ad humanum transiit nomen, atq; intra angustas mortalitatis metas coarctatum, ex verbo modi naturâ suâ infiniti, finitum esse, discriminari temporibus, digito indicari, imperia subire, optatis desiderijsq; vrgeri, hominibus humaniùs iungi cœpit. effecit adhuc exaggeratiorem admirationis auxesim, cùm duo illa nomina, non toto solùm à se dissita vniuerso, sed ne cogitatione quidem sibi confœderata, propè synonyma esse cœpêre, DEVS homo, & homo DEVS. Quæ enimverò tam diuinæ origo metaphoræ! quis inuentor! Cecinisti olim vates, quòd primus in orbe deos fecerit timor, palinodiam cane; non timor, sed amor DEVM hominem fecit, cùm eum transtulit ad humana. Decidisse quondam è cœlo gemmam in sacrum Diui cuiusdam mystæ calicem, fides annalium perhibet. Non miror pulchrum gemmæ huius casum, non nisi ad thesauros, nam ad veros diuinissimi liquoris vniones deproperantis. Magis miror probatissimi viri huius, caram Numini probitatem, in cuius ornamenta, non vulgare donarium submisit cælum, cùm hanc illi porrexit gemmam, pretiosumq; eius animum hoc pretio est testatum. Scit & DEVS, meliùs quàm olim Cleopatra, liquefactos suis præbere vniones, in quibus non iam regnum, sed cœlum bibant. At, vt iam innui, non vsque adeò euentus gemmæ huius aliquam à me extorquet admirationem. Te Te miror in ipsius Numinis ærario progenite

nite

nite vnio, hypoſtatica DEI hominis vnio. Te inſperatior fortuna nobis inexpectatâ detulit Translatione. conſtitiſti equidem nunquam ſatis æſtimate vnio non in indebita Tibi ſtatione, illi inſertus annulo, quo ſibi DEVS mortalem ſubarrhauit naturam. depoſitus es in ſecuriſſimo ipſius ſecuritatis loco, ſub ſole quidem ſed in vmbra, ab ipſo obſeratæ virginitatis benè tutus clauſtro, cuſtodem nactus vigilem ipſum Deum. Cum his tamen omnibus ponderoſiſſime vnio metaphoram non euaſiſti, dum creatam naturam ad diuinæ faſtigium tranſtuliſti Perſonæ. Sed quid ego genuinas veritates metaphoricis inuoluo translationibus! Neminem id mirari velim, ſuaſit hoc nomen translatus Feſti currentis dies, qui cùm in illas incidiſſet ferias, quarum in horologijs vltimam vitæ lineam ad vmbras occumbentium aſtrorum duxit DEVS, cùm inquam in illas malè feriatæ immanitatis ferias incidiſſet, intra infeſtas feſtus eſſe, numerumq; earum implere noluit, quæ è numero mortalium vitam ipſam expulerê: hæc igitur Translatio eam mihi perſuaſit phraſim. Et ſtetiſti iam in Centro Tuo (centrum felicitatum omnium MARIAM loquor) Translate DEVS ſtetiſti. Vtere igitur hac reſidentiâ Tuâ, quieſce in throno Tuo poſt tanta Translationis ſpatia nunc primùm fatigari diſcens Gigas. Ego verò Auditores, dum DEVM intra Virginea adyta commorantem cerno, eum Congregationi Annuntiatæ Virginis adlectum, atq; ad Corpus ſuſceptum, inter eiuſdem vmbras, vmbratili oratione Vobis advmbrabo. Fauebit humanitas Veſtra, de DEo homine peroranti.

Ipſum ego, vt opinor, liquidiſſimæ veritatis fundum tangam, cùm Pelagus illud gratiarum, illum naufragij immunem Oceanum, mare illud propter latentem in eo Diuinitatis abyſſum ſine fundo, MARIAM inquam, nomine integræ Congregationis appellauero: Si enim recens illa erecti orbis vndarum aggregatio, vocata maria: meliori maioriq; iure, nam diuino, Congregationis nomen MARIA ſortietur. Et certè quidquid præpotens Numinis manus, ſparſim veluti per totum partita eſt vniuerſum, totum id tanquam in compendio in eam Congregationem contulit

tulit fortunatè. Huic Te adlectum Congregationi, in hac serò nimis (si in computum veniat æternitas) susceptum ad Corpus, per vmbram licèt crepusculumq; Consurgentis auroræ, perspicuè tamen cerno Nate DEI. Priùs tamen mihi Tirocinium Tuum, apparatusq; ad tam insignem post tot præuia signa actum, perlustrandus est. Sed egone Tironem Te antiquissime dierum aliquando extitisse dicam? Te ne ego vnum è Triarijs, è Triaria nempè Personarum Triade Tironem vocem? Tiro eras, cùm in orbe terrarum Tironum more luderes, seriam interim felicitatis nostræ seriem meditatus. pendebat ex lusu illo Tuo immortalis fortunæ nostræ alea, nunquam deluse lusor. Tiro eras, dum habitu nondum contracto actus solummodo eximiæ humanitatis exerceres. At apparatus qualis quantusque? cum eo vtiq; splendore, qui progenito in splendoribus debebatur. Indicta ante omnia solennitas sub Ritu Duplici, duarum in vna Hypostasi naturarum, absq; expositione tamen Venerabilis, latente interim intra virginei latebras Ciborij Sacramento: modo primùm orbi missum Missæ Sacrificium, priuatim, secretòque, tacente enim VERBO, lectum, ipso Supremo Sacerdote, Res mira! seipsum sacrificante. Non defuère ad ornatum peristromata aulæaq; ex aureo vellere non Colchici, sed in vsus nostros euiscerantis se diuinissimi Agni. Imaginum artificiosæ aderant vmbræ pingente ipso Apelle spiritu: accessère, nunc primùm expressæ ad viuum figuræ veteres, in vmbra licèt non iam vmbræ. quid faces referam solis æmulas, eclypsari tamen nescias, quibus copiosum suppeditauit ignem ipse ille Consumens Ignis, ceram virginem dedit Virgo Mater. Et arsit quidem ignis iste, ceram tamen hanc non depascens. Si spectatorem spectes, effusa ad spectaculum tota cæli corona, tot oculis quot astris, & adhuc siderum motoribus magis oculatis frequens. Ipse interim suscipiendus ad Corpus DEVS nobilissima omnium comparuit in Persona.

Quis iam hic pacta Tua, quis Sacramentum quod dixisti, quis fidelitatem adpromissam, quis concepta verba, o diuini Conceptus VERBVM, vel concipiat vel enarret? Iuramentum

Fidei

Fidei quod præambulum esse solet, non duobus duntaxat appositis dextræ Tuæ digitis, sed admoto integro potentiæ Brachio deposuisti. Iura legesq; cœtus huius eâ æquanimitate amplexus es, vt nullam à Communi Regula pati volueris exceptionem, vnicâ peccati appendice non receptâ. Nulli olim obligatus, ex asse iam effectus es MARIANVS, atq; tam arctè fidem Tuam adstrinxisti, quàm arctum est Hypostaticæ vinculum Vnionis. Vnum sed irreuocabile dedisti verbum, cùm ô VERBVM Te dedisti. Quem verò cultum cultissime in nostro cultu DEVS MARIÆ Tuæ non adpromisisti? parùm erat Filium esse, adscitâ Serui Formâ in seruum Te mancipâsti. O seruatorem seruum! O Formam serui omni venustate digniorem! Erat informe portentum, Orbis, quem vt repingeres, archetypam hanc sumpsisti formam. Inanimis adinstar erat materiæ, inanimem ergo hac Formâ Tuâ animâsti. Nouam à Te didicimus dialecticam erudite DEVS, concludere nimirum in Forma serui, in qua Tu quoq; argumentum vitæ Tuæ conclusisti. docuisti eâ argumentationis formâ committere Æternitatis circulum, sed non vitiosum.

Vix eam posuisti formam omnium formosissime, cùm illico subsecutum est admirabile compositum, subsecuta ad Corpus fortunatissima susceptio. Et quis ille susceptor Tuus? illa illa Consanguinea Diuinitati Virgo vnico præpotenti verbo Fiat, Te inter Prædicamenta nostra in Gradu Corporis collocauit. Imaginetur obsoleti capitis antiquitas Pallades suas è cerebro Iouis natas, defectumq; cerebri hoc figmento prodat. Tibi recens MARIANE Sodalis DEVS non ad phantasticum contigit admitti Corpus. Eras hactenus totus & vnicus oculus, tota & vnica manus, ideoq; vitio imaginationis humanæ repudiabaris velut monstrum. Correxisti malè sanæ imaginationis vitium, cùm organici Corporis, quò acceptior esses, symetriam Tibi concinnâsti. In dies longiùs exerrabat, quæ semel à recto deuiauerat, erratica natura, quam ad rectum deducturus, non viator solùm factus, sed sumpto Corpore in recta ipse Consanguinita-

nita-

nitatis eius linea constitisti. Sciebas admodum graue Corporis pondus, hæredi cœlorum animo non leui obstaculo esse, ne in sua eluctetur dominia: remouisti impedimentum, cum Tibi illud ventorum quadrigis vehi solito adstrinxisti. Non nouum est per inita inter Principes Connubia, diu regnantia in Regnis odia consopori, sedari bella, pacem stabiliri. Vsus es hac solertiâ Princeps pacis, cùm naturâ hostili in Connubium Diuinitatis assumptâ, cœlum terramq; non tam spatijs quàm odijs à se dissita, æterno fœdere sociâsti, ita vt iam sint eadem inter se, quę sunt eadem vni tertio, vni Tibi. Definiuerat olim Philosophorum nonnemo, Te circulum esse, cuius vbiq; centrum, circumferentia nusquam; sed ô prodigiosam metamorphosim! in exiguum Te collegisti centrum, cùm profundissimum MARIANÆ demissionis centrum petiisti, ad quod vt faciliùs deuolueteris, Corpore quod ponderaret opus erat. Insurrexeramus aduersum Te, etsi lapsi, rebellionem moueramus, arma inermes sumpseramus, aculeato serpente suppeditante tela, pomis aptatis in globos, folijs ipsis in galeam excrescentibus & thoracem, cum ipsa illa arbore mortis ferace creueramus hostes radicati; eradicaturus frondosam sine fronte rebellionem hanc, Corpus Iuri Tuo opportunum aptâsti, vt vel ipsâ pedum positione pristinum Te possessorem testareris, simulq; gigantæo passu nunquam delenda beneficentiæ Tuæ vestigia imprimeres ingratæ Terræ nostræ. Non ignorabas erectam à Te Principi animo munitionem Corpus terreum, pridem iam in partes hostium transijsse, atque in præcipuum rebellium euasisse propugnaculum; quid hic ageres pugnacissime Exercituum DEVS? Non erat mentis Tuæ munitionem hanc non vno iam ruinosam lapsu, subruere funditus, in natiuum redigere puluerem, demoliri. optimo itaq; consilio in Tuam redegisti potestatem, Tuumq; in ea amoris armamentarium collocasti, & ne vllum vnquam suboriretur de possessione dubium, permutato nomine, factus es ipsum Corpus. Latebat in argillacea Corporis tellure pretiosi quiddam, quod ne in alienas deueniret manus, ipsum fundum Caro Tui ipsius emisti.

ſti vnione. Fuit olim adeo famelicum Corpus, vt vnico morſu ipſam comederit mortem, vitamq; abliguriuerit vniuerſam; exſaturaturus helluonem hunc, Tibi illum Immortalitatis iunxiſti cibo. Complures videbas Aquilas ſpectando ſoli natas in turpem vulturum cadaueribus aſſuetorum degeneraſſe indolem, prouidiſti & illis nobilem eſcam, idq; effeciſti, vt ubi Corpus foret, & Aquilæ congregarentur. Æſtuabas nimio caritatis æſtu, totoq; anhelabas ſpiritu in terras deducte Devs, nullaq; Tibi in Te ſuppetebat vmbra, eam igitur nactus es à Corpore ad vmbras Tibi efformato. Conſtiteras iam in Auge ô Sol verè ſolus, atque ita exarſeras, vt non potueris non attrahere nubeculam iſtam Corpus noſtrum.

Sed quid plura? etiam per nubem hanc pluſquam clarum eſt, Te ad Corpus Sodalitatis ſuſceptum Congregationi Annuntiatæ dediſſe nomen, Alboq; inſcriptum eſſe MARIANO. O diem albo notandum calculo! quo atram orbis fuliginem abſterſurus, niueo Virginitatis Nomen inſeruiſti lilieto. Habebat proſcripta hominum natura collatum ſibi ad Cœli Dominia priuilegium, hoc vno inualidum mancumq; quod Collatoris ſubſcriptum deeſſet nomen: roboraſti valorem, cùm tandem nomen Tuum exaraſti. deerat & ſignaculum, ſed prouidit illud luculenter Fons ſignatus. Jmplebant hactenus Calendarium noſtrum erratica Planetarum nomina per meros inſerta errores exerrantium toto cœlo Aſtrologorum, ſed iam in nouam immutatum faciem, Te primas eius Kalendas, frontemq; bifrontis Iani, Nomine Tuo occupante. Et vmbroſè quidem interea ſcriptum inſeruiſti nomen, ſed breui purpureo ſanguinis murice pingendum atq; in integrum nobis Rubrum euaſurum. Edideras non ita pridem dignum Ingenio Tuo opus, ſine literis literate DEVS, cùm MARIAM edideras, librum ab erratis mendiſq; verè liberum, librum mille titulis adornatum, iam Curſus Theologici inſignem nomine, in quo ipſe curriculum mortalitatis eras decurſurus, iam Catena aurea, appellatum, in qua vinculis humaniſſimę beneuolentiæ catenandus eras, iam Nomenclaturâ Moralium Tracta-

tuum

tuum insignitum, in quibus ampla sæculorum negotia feliciter eras pertractaturus. Jgnotus interim erat tam operosi & eruditi libri auctor, cùm ecce scripto Tuo nomine auctorem prodidisti. Si quando, nunc profectò Album MARIANVM cœpit esse vere Album, dum nitidissimum candorem Lucis Te recepit.

Vnum vereor ne in hac fortunata Tui ad Corpus Albumq; susceptione queraris recens Parthenie Sodalis DEVS, quòd ad Jndulgentiarum meritorumq; commercium minimè sis admissus. Et verò quæ Indultorum commercia ab ijs expectare poteras, quos in ipso principe Capite, Capitis reos non ignorabas: immutâsti itaq; rerum vices, cùm ipsam Congregationem Te ad Corpus recipientem, ad merita Tua admisisti. Subsecuti illico ingentes Indulgentiarum thesauri, occlusi hucusq; sed ad præsentiam Tuam reserati, ô Clauis Dauid. Plenariam promulgâsti Jndulgentiam illo Pontificio Breui Tuo (chartam Virginem loquor) sed pleno gratiarum, allatæ Stationum Vrbis Indulgentiæ, Te in hac Metropoli Tua constituto. Et quid tandem muneris pro tot meritis es adeptus? quâ tandem Te Congregatio Tua inauctorauit dignitate? dicerem Te in Præfectum Sodalitatis euasisse, nisi subiectum intuerer. Thesaurarium appellarem: nisi probè nossem, ære alieno obæratum ad extremam pauperiem deuenisse. Non exerrabo itaq; si Secretarij nomen Tibi dedero, secreta cœlorum denuntiantis, aut certè Consultoris, noua orbi consilia suggerentis, aut deniq; Assistentis, dexteram Numinis occupaturi.

Nec iam plus vltra Auditores, cum nec ipse susceptus ad Corpus DEVS, quò progrediatur amplius quidquam habeat: ad metas itaq; limitesq; abbreuiati consisto VERBI, abrumpo filum, DEO suam ordiri mortalis vitæ telam inchoante. Orationis compono vela, reuelato Numine sua iam vela expandente. Cæterùm quidquid hactenus de suscepto ad Corpus DEO dixi, Corpus est, Vos animum date.

DIXI.

A. M. D. G. Bq; V. I. C. H.